DE ALCAEI VOTO

SCHEDA GRATVLATORIA

QVAM AD

VDALRICUM DE WILAMOWITZ-MOELLENDORFF

VIRVM DOCTVM FORTEM STRENVVM
COLLEGAM SIBI CONIVNCTISSIMVM
AMICVM PER PLVS ·X· LVSTRA PROBATVM

DIE FESTO A. D. ·XIII· KAL. AVG. ·MCMXX·

QVO ANTE ·L· ANNOS

AB ORDINE PHILOSOPHORVM BEROLINENSI DOCTORIS PHILOSOPHIAE
IVRA ET HONORES ACCEPIT

GRATI ANIMI TESTEM MISIT

HERMANNVS DIELS

BEROLINI
APVD WEIDMANNOS
1920

Νοῦ γεγονὸς πατρὸς καὶ Φαντασίης ἀπὸ μητρός
τέκνον ἔφυ, τῶι δ' ἦν οὔνομα Γραμματική.
καρπαλίμως δ' ὡς ἔρνος ἀέξετο χάρμα βροτοῖσιν
καὶ δίοθεν δώρων ἔλλαχε θαυμασίων.
τῆς πέρι πάμπολλοι μὲν ἐδηρίσσαντο μαχηταί,
παῦροι δὲ θνητῶν ἧς ἔτυχον χάριτος.
σὴ δ' ἀρετή, φίλ' ἑταῖρε, θεῶν ἒξ ἔμμορε τιμῆς
τοίης, ἧς ἔτι δὴν κάρπιμ' ὄναιο φέρων.

Laciniae, quas in tabula uides descriptas, sunt papyri aegyptiacae, quae sub initium huius saeculi prodiit. atque prius quidem fragmentum A in museum Berolinense peruenit, unde in Academiae nostrae Relationum a. 1902 p. 195 a Schubartio cum simulacro photographico ac postea in Textuum class. Berol. vol. V 2 p. 3 editum est. alterum B in possessionem uenit Aberdonensis doctae uirginis Norae Mac Donald. et haec quidem particula a Theodoro Reinach in Studiorum graecorum uol. 18 (1905) p. 299 et 413 cum simulacro lucis ope confecto in medium prolata est. paulo post cognitum est ex litteraturae chartaequae specie olim utrumque fragmentum cohaesisse atque sic coniunctum in Diehlianae Sylloges 1 A B p. q ed. III apparet.

De argumento editores desperauverunt neque ultra pauca singulorum uocabulorum supplementa progredi uoluerunt. at mihi ut uanum esse uidetur sinistra parte amissa poetae ipsa uerba recuperare uelle, ita argumentum certe ita significatum credo, ut aliqua spes sit, quid hoc sibi carmen uoluerit, diuinandi. Ordior ab ultimis B 5—10, ubi apparet inimicos Alcaei deuoueri Myrsilique principis contrariae factionis mortem exoptari. de his rebus Strabonis extat grauissimum testimonium[1]), quod cum ex aliis fragmentis tum ex hoc, de quo agitur, ductum esse elucet. ac primum quidem Pittacus, quem Phittacum dixerat Alcaeus, B 8 significatus erat qui Archeanactidarum familiae non erat, sed Hyrradiorum[2]); hinc supplementum huius versus

---

[1]) XIII 617 *ἐτυραννήθη δὲ ἡ πόλις κατὰ τοὺς χρόνους τούτους ὑπὸ πλειόνων διὰ τὰς διχοστασίας, καὶ τὰ στασιωτικὰ καλούμενα τοῦ Ἀλκαίου ποιήματα περὶ τούτων ἔστιν· ἐν δὲ τοῖς τυράννοις καὶ ὁ Πιττακὸς ἐγένετο. Ἀλκαῖος μὲν οὖν ὁμοίως ἐλοιδορεῖτο καὶ τούτωι καὶ τοῖς ἄλλοις, Μυρσίλωι καὶ Μελάγχρωι [καὶ] τοῖς Κλεανακτίδαις καὶ ἄλλοις τισίν, οὐδ' αὐτὸς καθαρεύων τῶν τοιούτων νεωτερισμῶν.* deleui *καὶ* post *Μελάγχρωι.*

[2]) Schol. Dion. Thr. 368, 14 Hilg. = Cramer An. Ox. IV 362, 30 *Ὑρράδιος δέ ἐστιν ὁ τοῦ Ὕρρα υἱός· Ὕρρας Μιτυληναίων τύραννος, οὗ υἱὸς Πιττακός.* Hes. *Ὑρράδιος: ἀπό τινος τῶν προγόνων ἄδοξος ἢ εἰκαῖος;* idem *Ὑρράδιος: ὁ τοῦ Ὕρρα παῖς;* cf. Callim. Ep. 1, 2 *παῖδα τὸν Ὑρράδιον* (sic Anth. cod.). inde Hyrradium patrem falso uocant Diog. I 74 et Suid. *Πιττακός* (cf. Io. Töpffer, Beiträge p. 47[4]). ceterum notandum Hyrradios non forma solum nominis, sed etiam re a Cleanactidis ceterisque gentilibus differre. nam pater Hyrras ignobilis, Pittacus homo nouus erat. nec Hyrradiorum potuit gens proprie dici.

certum. Archeanactidarum autem quis contra Alcaeum steterit, nescitur. mihi quidem Dinnomenes fuisse uidetur, qui Pittaco sociatus est in ipsius fr. 94 Hoffm.

ἦρ' ἔτι Διννομένηι τῶι τ' Ὑρρακήωι
ἄρμενα λάμπρα κέαντ' ἐν Μυρσιλείωι[1]).

Myrsili arx postea tamquam heroon conseruata esse uidetur, ubi Pittacus et Dinnomenes arma velut in praesidio conseruabant. Accedit fr. 52:

ἐκ δὲ ποτήριον πώνης Διννομένηι παρίσδων.

Pittaci vinolentia et cum potatoribus commercium in fragmentis nuper repertis plus semel acerbissime sugillatur (pap. ox. 1234 fr. 2 col. I, fr. 2 col. II) ubi restituendum uidetur:

λά]βρως δὲ σύνστει[ψεν κελέβ]ειά πα[ι
πίμπλεισιν ἀκρᾶτ[ωι θάμ' ἐ]π' ἀμέρᾶι[2]).

In priore particula A Iovis numen cum grauissimae pugnae exitu coniunctum esse apparet. quam infeliciter euenisse Alcaei factioni (ut pleraque quae in Stasioticis narrantur) consentaneum. hinc igitur proficiscentibus carminis argumentum tale coniectura assequi licet. postquam optimates in fugam conuersi sunt — ut in carmine euisdem papyri cuius argumentum scholiasta in dextra margine seruauit[3]) — deliberat dux Alcaeus, quid iam faciendum sit, ut ira Iovis, qui omnia mortalia administret, placetur. nuntium huius calamitatis suique consilii ad puerum quendam familiarem mittit, quem appellat A 2 *ὦ πά[ϊ*, quemadmodum fr. 41:

καδ' δ' ἄερρε κυλίχναις μεγάλαις, ἄϊτα, ποικίλαις·

similiter sodali Melanippo epistulam de clade ad Sigeum accepta scribit fr. 32:

---

1) cf. W. Schulze, Gött. g. Anz. 1897 p. 885[1].

2) intellego: *sectatus est* (Pittacus) *illos qui uoraciter rustica pocula alicubi mero de die crebro implent.* scholiasta illorum comissationem (uu. 4. 5) in margine sic explicasse uidetur: *[νύκτα ταύ]την λέγει, [ἐν ἧι Πιττα]κὸς σὺν [τ(οῖς) φίλοις τ]οῦ ἔθους [ἦρξε καθισ]τὰς τὸ [ὀρίνειν] κτλ.*

3) Fuit qui hoc scholion ad sinistram partem, i e. ad carmen quod tractamus pertinere crederet, quia scholia ad dextram adscribi solent. at Schubartius recte monuit illud scholium post coronida proximi carminis exaratum esse; atque insequentis carminis contextus, ut spatium scholio daretur, magis quam versus antecedentes dextrorsum est positus. uerba ipsa scholiastae sic intellegam: *κατὰ τὴν φυγὴν τὴν πρώτην [ἐ]πὶ Μύρσιλον κατασκ[ευ]ασάμ[εν]οι ἐπιβουλὴν οἱ περὶ τὸν Ἀλκ[αῖ]ον, καταφαν[είση]ς δὲ προφθάσα[ντε]ς, πρὶν ἢ δίκη[ν] ὑποσχεῖν, ἔφυγον [εἰ]ς Πύρ[ρα]ν.*

Ἄλκαιος σάος ἄρ⟨μ⟩οι. ἔντεα δ' οὔ. ⟨σ⟩κῦτον ἀλίκροτον
εἰς Γλαυκώπιον ἶρον ⟨τάχ'⟩ ὀνεκρέμ⟨ν⟩ασαν Ἄττικοι[1]),

imitantur et Theognideus ille poeta libri alterius v. 1249 sqq. et Theocritus in aeolico 29 et Horatius in ultimo libri I carmine: *Persicos, odi, puer, adparatus.*

Describit tum cladem, qua fortissimi optimates ceciderunt, reliqui sauciati sunt vel, ut poeta dicit *cruentas uestes induerunt.* φονί]οις (sc. ἐσθῆτας) ἐπέμμενοι eadem ratione breviatum est qua Sappho aemulam Andromedam, quae Atthidem discipulam seduxerat, risisse fertur fr. 70:

τίς δ' ἔθελγε νόον σοι ἀγροΐωτιν ⟨μάλ'⟩ ἐπεμμένα
κοὐκ ἐπισταμένα τὰ βράκε' ἔλκην ἐπὶ τῶν σφύρων[2]),

sic enim fragmentum a Maximo et Athenaeo laceratum rescribere ausim. στολὴν quod ille ad ἀγροιῶτιν addit ipse suppleuit.

Postremo Alcaeus gratias Iovi agit, quod uitam certe seruare potuerint. quid igitur iam faciendum? suadet Alcaeus supplicationem universi populi sollemnem instituendam esse pacemque Iouis exposcendam, ut fausta mittat omina populumque grauiter laborantem subleuet. ipse autem poeta suum addit uotum: ut pereant adversariorum principes sibique ipsi liceat tum Iovi Saluatori primo calice libamen, quod in symposio fieri solebat, offerre, quia Myrsilus, inimicissimus tyrannus, cecidit. et hoc quidem uotum expleuit Iuppiter, ut ex ipso audimus fr. 20:


νῦν χρῆ μεθύσθην καί τινα πρὸς βίαν
πώνην, ἐπειδὴ κάτθανε Μύρσιλος.

In summis chartarum angustiis quibus nunc premimur nolo singula accuratius explicare. immo ipsa quae refinxi uerba carminis proponam et commentarii loco uersionem subiciam, unde periti uidebunt, quomodo quae suppleui intellexerim. ac uerba quidem pleraque exempli causa posita esse scito. satis mihi laudis tulisse uidebor, si argumentum ipsum summatim a uiris doctis et a Te potissimum, amice doctissime, qui in hoc litterarum genere habitas, diuinatum esse concessum erit.

---

[1]) sic uerba in Strabonis codd. pessumdata restituere conor. (aliter Wilamowitz, Herm. XIII 168). ἀρμοῖ, ἀρμῶι explicant ἄρτι, νεωστί. igitur saluum se modo rediisse nuntiat. sed subest fortasse etiam tecta significatio vix et aegre hoc ei accidisse. apud Hippocraticos quidem uelut VIII 408, IX 9 L. aliisque locis de stricta et angusta clausura ἀρμοῖ adhibetur. pro ἀνεκρίμνασαν Atticorum (talis enim forma metro flagitatur) aeolicum ὀνεκρέμνασαν temptaui, uelut κίρνημι aeolice sonat κέρναμι (Alc. fr. 34, 4; 41, 4; I. Graec. XII 2, 1, 7. 13).

[2]) de ellipsi cf. L. Bos Ellipses p. 159, 204, 532 ed. Schäfer. Lips. 1808



PAPYRVS ALCAEI BEROLINENSIS — ABERDONENSIS

A Φρόντι δές μ' ἔχον] αὖ καὶ διανοίΐα[ι, — *Scholia* διανοήσ]εις
τί χρῆ λοῖπον ἄνυσ]σαι χρόνον, ὦ πά[ϊ.
τλᾶτ' ὤν ὄσσαπε]ρ αὖτος Κρονίδα[ς τέλη,
ἔων κόρτερος, ὄπ]παι κε θέλη τρ[όπην
θνᾶτα πάντα· τέ]ουτ' οὐ μάλα πῆ[λ' ἔφυ
κάκον, ὡς ἀύ]ταν δῆθα κατ' ὠ[ράνω
Ζεῦς πέμψαις πρὸς ἄε]θλον πολυδά[κρυον
πόλλοις ὦρσεν ἀρ]ίστηας [ἀ]πυκρ[ίτοις,
τῶν μέγα κλέος εἰ]ς μάκρον ἀπί[κετο·
ἄνδρες γὰρ πόλιος πύργος ἀρεύιοι = fr. 23
ἄντι' ἔστασαν,] ὡς κῆνος ἐβόλ[λετο.
πόλλοις μὲν θανάτω] μοῖρα κατέσχ[εθε,
ὤλλοι δ' αὖ φονί]οις ἤμεν ἐπέ[μμενοι,
ὄψι δ' ἄμμε κάκ]ων Ζεῦς ὑπελ[ύσατο·
ἄδε γὰρ χάρις] αὖτω. τάδε ἔργ' [ὄρεις
νῦν κακῶν ἐπίλα]θες φέρ' ἔγω λ[έγω
ἄλκαρ· δαμο]σίαν [φᾶμ' ἰκετηρίαν
τελέην Κρο]ν[ίδαι πάντας ἀόλλεας.

B καί κε τάνδ' ἀπυδέξαι]το δέησ[ιν εὖ
Ζεῦς· δι' ἀστεροπα]ς γὰρ τάδε σα[μάνει,
ὡς πάλιν ποτὰ κο]ῦφος μακά[ρων σδύγος
δάμωι' σται τὸ π]άροιθεν βαρυω[δύνωι.
νῦν δ' ἔγω Δίι το]σσοῦτον ἐπεύ[χο]μαι·
μήκετι προσίδ]εσθ' ἀελίω φ[ά]ος
ἀράτων τινὰ τῶ]ν γε Κλεανακ[τί]δαν — τὸν Μυρσίλον
ἢ τῶν Ὑρραδίων] ἢ 'ρχεανακτίδαν, — τὸν Φιττακόν
καὶ Σώτηρι τότ' αὔ]ιον μελιάδεος
σπεῖσαί μ', ὡς βίοτον Μύρσι]λος ὤλ[εσεν.

A 16 *κακῶν ἐπίλαθες* sumpsi ex Hom. δ 221, ubi falso Aristarchi lectionem seruant editores; cf. Nauckii Praef. p. VII. *ἐπιληθής* ut *ἀληθής*.

A *Aerumnis iterum consiliisque agor,*
Quo modo, puer, hinc sit peragenda res.
Fata cuncta quidem ferre decet Iovis,
Qui quocunque libet vertere res ualet
Nostras. Tale sumus non procul hinc malum
Passi, perniciem ut misit ab aethere
Multos ille agitans ad lacrimabile
Certamen manuum praecipuos duces,
Quorum magna cluet fama per oppida.
Turris instar erant belligeri uiri
congressi; fuerat sic placitum Ioui.
Multis exitium Parca dabat ferox,
Vestis et reliquis sanguine plena erat.
Nos ab interitu sera Iovis patris
Seruauit manus. Haec facta ego dum noto,
Nunc age auxilium profitear mali!
Dico: supplicibus iam precibus Iovem
omnes unanimoque ore adeant uiri.

B *Vota fors sit-an haec accipiat pater,*
Qui iam fulminea signa dabit manu,
Diuorum populo mox leuius iugum
Fore, uolnere qui pressus erat graui.
Nunc ego hasce preces addiderim Iovi:
Ne quis aspiciat solis abhinc iubar
Execrabilium de Cleanactidum
Stirpe aut Hyrradia aut Archeanactidum,
Ac libare mihi ut tum liceat mero
Vindici, quoniam Myrsilus occidit.

Druck von O. Schulze & Co., G. m. b. H., Gräfenhainichen.